Non dico vobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo una
divisi, tres in duo et duo in tres dividentur: pater in filium et filius in
patrem suum, mater in filiam et filia in matrem, socrus in nurum suam et nu
rus in socrum suam. Cum in omnibus fere evangelii locis spiritalis intellectus
operetur, tum in praesentia maxime. Ne quem duritia nudae expositionis
offendat, spiritali altitudine sensus series temperanda est, praesertim cum
sacrosancta religio moralibus disciplinis et mitibus pietatis exemplis
etiam fidei exules ad reverentiam tam sui clementer invitet, ut prima fi
dei disciplina mansuetudine sui superstitionum dura dissolvat, et ob
noxias erroribus mentes cogat etiam fide credere, quas potuit pietate
mulcere. Etenim cum fidei alta pectoribus non capiuntur infirmis, per ea quae prae
cepta sunt, ea quae veneranda sunt aestimantur, ut iusta de iusto, sancta de sancto,
bonorum suorum bonum testentur auctorem. Ergo dominum Iesum, qui simul divini
tatis reverentiam et pietatis gratiam sua lege complexus est dicens: diliges
dominum deum tuum et diliges proximum tuum, ita nec mutatum esse opinabimur,
ut abolere necessitudinum nomina, collidere pietatis affectus, caris
simorum pignerum discidia mandasse credamus. Et quoniam ipse est pax nostra
qui fecit utraque unum, quomodo ipse dicit: pacem meam do vobis, pacem meam de
relinquo vobis, si parentes a filiis, filios a parentibus discidio necessitu
dinis separaturus advenit? Quomodo maledictus qui non honorat patrem,
religiosus qui deserit? Sed si advertamus quae prima causa religionis, secunda
pietatis est, in eodem etiam hanc aestimabimus quaestionem. Oportet enim ut di
vinis humana posthabeas. Nam si officium parentibus exhibendum est,
quanto magis auctori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes?
Aut si illi omnino non recognoscunt parentem, quemadmodum tu recogno
scas? Non ergo dicit renuntiandum esse pigneribus, sed deum omnibus praeferendum.
Denique habes in alio libro: qui diligit patrem aut matrem super me, non est
me dignus. Non diligere parentes, sed deo praeferre prohiberis. Etenim na
turae pignera domini beneficia sunt. Nec quisquam debet plus amare bene
ficium quod accepit, quam dominum a quo beneficium servatur acceptum. Ergo etiam secundum